



Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

134 Redime me à calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](#)

134 Redime me à calumnijs hominum,
vt custodiam mandata tua.

CALEMNIA, inquit sanctus Ambro-
sius, eo grauior est, quia non solum
falsa componit, verum etiam, quæ piè ge-
sta sunt, decolorat. & infra. Qui enim op-
primitur calumnia, non facile potest cu-
stodire mandata eius. Tristitia necesse est
Mat. 10. plerumque, aut timori cedat, & affligatur
vel metu calumniae, vel dolore. Sed, cum
Veritas dicat. Non est seruus maior Domi-
no suo, nec discipulus super magistrum; si,
quæ Dominus, & magister noster passus est
Hebr. 12. recogitemus, iuxta Apostoli monitum di-
centis. Recogitare eum, qui tales susti-
nuit à peccatoribus aduersum semet ipsum
contradictionem, vt ne fatigemini animis
vestris deficientes] certe non est, cur tanto-
pere calumnias, & oppressiones reformi-
demus. Audi Prophetam hunc nostrum
alio Psalmo de magistri, & Domini ca-
lumnijs, & oppressione per prophetiam
Psalm 88. ita Domino Patri loquentem. Diripuerūt
eum omnes transeuntes viam, factus est
opprobrium vicinis suis. Durum: sed ad-
dit. Exaltasti dexteram deprimētum eum
lætificasti omnes inimicos eius. Quid
amarius? Pergit. Auertisti adiutorium
gladij eius, & non es auxiliatus ei in bel-
lo. Quanta in calamitate derelictio quan-
ta?

IN PSAL. CXVIII. 543

ta? Addit. Destruisti eum ab emundatione , vt ne innocentia quidem eius in tanta sanctitatis exultatione appareret. Præterea. Sedem eius in terra collisisti , quasi de throno regni, quod illi inamissibile est, deiectus videretur. Denique. Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione. Quis ergo audeat fidelis seruus , Domini, & Dei sui: tale intuitus exemplum calumnias , & oppressiones à se deprecari ? Sed quoniam calumnia conturbat sapientem, Eccl. 7. vt scriptum est , & perdit robur cordis illius, id mihi potius videtur petere, non vt liber sit à calumnijs, sed (quod est excellenter redimi) ne huiusmodi inimicorum calumniæ à seruandis Domini mandatis ipsum abducant, aut retrahant, vel odio in ipsos calumniatores, vel timore calumniarum , vel quasi diffidentia quadam diuinæ prouidentiæ: quæ talia impijs permitrat audere in Sanctos. Ergo non tam acerbitates calumniarum , & malorum, quam defectum patientię, fiducię, & longanimitatis pertimescēs, orat, vt seruata erga inimicos dulcedine mentis, & caritate, ab his incommodis eruatur: ne dum Deo in eiusmodi probationibus placere desiderat, ex sua infirmitate displiceat.

135 Faz.